

TRASCRIZIONE DEI PROLOGHI DEL *LIBER PARADISUS*

(viene utilizzata la trascrizione pubblicata in *Liber Paradisus con le riformagioni e gli statuti connessi*, a cura di F.S. Gatta e G. Plessi, Bologna, Tipografia Luigi Parma, 1956; è attualmente in corso di redazione una nuova trascrizione del *Liber Paradisus* che sarà pubblicata entro il 2007 a cura della Fondazione del Monte di Bologna e Ravenna)

pp. 5-6 (c. 1r del manoscritto originale):

Hoc est memoriale servorum et ancillarum qui et que sunt per comune Bononie manumissi et manumisse; quod memoriale debet vocari merito proprio vocabulo Paradisus.

DE QUARTERIO PORTE SANCTI PROCULI

PARADISUM voluptatis plantavit dominus deus omnipotens a principio, in quo posuit hominem quem formavit et ipsius corpus ornavit veste candenti, sibi donans perfectissimam et perpetuam libertatem. Set ille miser sue dignitatis et divini muneris immemor, pomum vetitum supra preceptum dominicum degustavit, unde se ipsum et omnem suam posteritatem in hanc vallem misere traxit et humanum genus enormiter tossicavit aligans id miserabiliter nexibus diabolice servitutis et sic de incorruttibili factum est corruptibile, de immortali mortale, subiacens alterationi et gravissime servituti. Videns vero deus quod totus mundus perierat misertus est humano generi et misit filium suum unigenitum natum de virgine matre cohoperante gratia sancti spiritus ut gloria sue dignitatis diruptis vinculis servitutis quibus tenebamur captivi nos restitueret pristinae libertati, et idcirco valde utiliter agitur si homines quos ab initio natura liberos protulit et creavit et ius gentium servitutis iugo subposuit, restituantur manumissionis beneficio illi in qua nati fuerant libertati. Cuius rei consideratione nobilis civitas Bononie que semper pro libertate pugnavit, preteritorum memorans et futura providens in honorem nostri redemptoris domini Iesu Christi nummario pretio redemit omnes quos in civitate Bononie ac episcopatu reperit



servili conditione adstrictos et liberos esse decrevit inquisitione habita diligenti, statuens ne quis adstrictus aliqua servitute in civitate vel episcopatu Bononie deinceps audeat commorari, ne massa tam naturalis libertatis quam redempta pretio, ulterius corrumpi possit fermento aliquo servitutis, cum modicum fermentum totam massam corrumpat et consortium unius mali bonos plurimos dehonestet. Tempore in quo vigilantia nobilis domini Bonacursii de Sorixina Bononie potestatis, fama cuius omnium laudum longe lateque diffusa iradiat velut sidus et sub examine domini Iacobi Gratacelli eius iudicis et assessoris quem iuris peritia, sapientia, constantia et temperantia in omnibus recomendat, factum est memoriale presens, quod proprio nomine debet vocari merito Paradisus continens dominorum nomina servorum et etiam ancillarum ut liqueat quibus servis et ancillis est acquisita libertas et quo pretio, scilicet X librarum pro maiore XIII annis servo et ancilla et octo librarum bononinorum pro minore constituto cuilibet dominorum pro quolibet qui detinebatur adstrictus vinculo servitutis. Scriptum est autem hoc memoriale per me Conradinum Sclariti notarium ad servorum et ancillarum officium deputatum, sub anno domini M.CC.LVII. corrente indictione XV, sitque nunc et in posterum memoria omnium predictorum.



p. 49 (c. 31r del manoscritto originale):

PETRI

Totius conditor creature omnipotens deus humano generi existens propitius ad hoc voluit humanam assumere carnem ut sue divinitatis gloria dirupto quo tenebamur vinculo servitutis captivi nos pristinae restitueret libertati et ideo salubriter agitur si homines quos ab initio natura liberos protulit et ius gentium servitutis iugo subiecit manumissionis beneficio in ea qua nati fuerant libertate reddantur. Cuius rei consideratione promotum Comune Bononie in honorem nostri redemptoris domini Iesu Christi nummario pretio redimens eos quos reperit in civitate ac episcopatu Bononie servili conditione astrictos inquisitione habita diligenti liberos esse decrevit. Tempore itaque regiminis viri nobilis domini Bonacursii de Surixina qualibet laude digni Bononie potestatis anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo quintadecima indictione corrente factum est memoriale presens continens servorum et ancillarum nomina et etiam dominorum ut constet de servis et ancillis quibus est quesita libertas et liqueat de pretio scilicet decem librarum bononinorum pro quolibet maiore quatuordecim annis et octo librarum bononinorum pro quolibet minore servo vel ancilla dominis constituto cuilibet pro his qui suo dominio subiacebant sitque nunc et in posterum memoria omnium predictorum. Que siquidem acta sunt sub examine domini Iacobi Gratacelo supradicti domini Bonacursii potestatis asesoris et iudicis, quem iurispericia morum elegantia laudabilis facundia reddunt in omnibus circumspicuum.



pp. 73-74 (c. 48r del manoscritto originale):

STERII

Sancti spiritus adsit nobis gratia.

Invocato patris et filii et spiritus sancti nomine.

Omnium dominus et creator primum hominem de limo terre ad sui similitudinem fabricavit et eidem in paradiso deliciarum hereditariam tribuens mansionem: dum dormiret de costa lateris fecit Evam et eidem in suam sociam copulavit: quibus meram et plenissimam tradidit libertatem ut dominarentur ceteris procreaturis; set pater mendaciorum et humani generis inimicus invidia motus eos seduxit et falaciter defraudavit; ipsius sugestione de pomo vetito degustantes, et sic facti sunt mandati domini transgressores, ob quam causam ab hereditate pristina sunt expulsi, ubi omne bonum est et gaudium sine fine, veniendo in hanc valem miserie plenam tristitia langoribus et periculis universis. Et cum ex parentibus antedictis omnes a mundi origine liberi nascerentur et nemo foret subditus honeri servitutis propter bela orta secute sunt captivitates et ex captivitatibus servitutes, et quia servi ex duplici causa fiunt ex servorum seu ancilarum nactione aut hostium captione, Bononie civitas cum sua diocesi rubigine servitutis erat plurimum obfuscata et inter servos et ancilas ultra sex milia presentialiter continebat. Quapropter Commune Bononie civitatis per omnia bona dicta in tantum videns servorum numerum augmentari quod hinc ad breve tempus episcopatus plenus totaliter esse servis et pauci liberi remanerent, misericordia ductum ad maius commodum civitatis faciente domino Iesu Christo qui bonorum omnium est largitor, cum libertas sit thesaurus inextimabilis et ceteris metalis preciosior nec posset pretio numario comparari, de sua iurisdictione pariter et districtu, servitutis maculam radicitus extirpavit et servitutis vinculo compeditos provocavit ad pristinam libertatem, quemlibet utriusque sexus quatuordecim annorum et ultra decem librarum bononinorum et ab inde infra octo pretio redimendo, ut deinceps servis careat et cum sit civitas nobilis atque franca in ea tantum liberi commorentur. Et hec omnia prelibata primordium habuerant et exitum gloriosum tempore domini Bonacursii de Surixina tunc capitaneus populi plurimum honorandi et postmodum subsequenter eiusdem civitatis laudabilis potestatis quem omnis probitas dignis laudibus recomendat; domino Iacobo Grataceli in



utroque regimine suo iudice commorante morum elegantia, civili sapientia, prudentia, fortitudine, iustitia et temperantia non modicum radianti ac dominis Polo Iohannis Brexani, Coradino Sclariti, Bonvisino Leonardi et me Hugolino Agresti notariis cum predictis ad inquisitionem de servis faciendam prout rei veritas se haberet, et ad hec memorialia facienda ut in posterum omnibus inspicientibus ad perpetuam memoriam liqueat et sit clarum, currente anno domini millesimo duccentesimo quinquagesimo septimo indictione quinta decima.

Demum altissimum Iesum Christum contemplantem celestia et terrena flexis genibus affectuosissime rogemus quod tale Commune omni tempore in pace ac quiete illesum manuteneat et gubernet et dignetur de bono in melius augmentari ad suum servitium et honorem. Amen, fiat, fiat.

